





COMMENTATIONIS  
Ad locum Juris famosissimum, vexatissimum-  
que in *L. Possideri. 3. §. Ex contrario. 5. ff. de acquir. vel  
amittend. possess.*

22<sup>39.</sup>

1641, 2.

PARTIS POSTE-  
RIORIS,

MEMBRUM PRIMUM,  
DEO OPTIMO MAXIMO AUSPICE  
IN CELEBERRIMA REIPU-  
BLICAE ARGENTORATENSIS VNIVER-  
sitate publici, & Solennis exercitiū gratiā  
*propositum*

A

GREGORIO BICCIO, BUDISSINO,

U. J. Doctore, Pandectarum Professore ordinario, &  
h. t. Universitatis RECTORE,

*Respondente*

JOHANN E Brandis / Nobili  
Borullo.


*Die 16. Mensis Decembr. hor. ab IIX. pomerid.  
in Auditorio Veteri.*



ARGENTORATI,  
Typis JOHANNIS ANDREÆ,

Anno clō lcc. xli.





## PROOEMIUM.



um sub finem anni trigesimi septimi supra millesimum sexcentessimum, adjuti divinâ gratiâ, priorem commentationis nostræ, ad locum Juris celeberrimum, difficilimumque in l. 3. §. 5. ff. de Acquir. vel amitt. poss. partem, ipsius sc. textus & verborum ἐξήγησιν, centum & viginti quatuor numeris inclusam, publicæ Jurisperitorum censuræ exposuerimus, ordo nunc postulat, ut memores cancellorum, quos nobis ipsis *thesi quintâ dictæ partis prioris*, præscripsimus, quæstionum controversarum ex textu nascentium λύσιν, & tandem etiam Axiomatum seu Regularum Juris in eo latentium συλλογὴν, superioribus pari ratione subjiciamus, quam curam, manibus ad cælum erectis, æternoque auxilio invocato, hâc, sequentibusque duabus disputationibus, nostris reponemus animis, DEO freti qui & res penitus desperatas donare, & consummare suæ virtutis magnitudine potest: Hunc enim Auctorem, & totius operis Præsulem fieri optamus, quod etiam Justiniani votum est in *constit. Deo auctore. §. 2. in f. de concept. digest. & in const. Tanta. in med. princ. de confirmat. digestor.*

## QUAESTIONUM CONTROVER- SARUM

Λύσις.

### QUÆSTIO I.

*Possessio unde appellata sit?*

**E** Legans fuit Socratis dictum ab Epicteto relatum: ἀρχὴν παιδείας τὴν τῶν ὀνομάτων ἐπίσκεψιν εἶναι id est, *principium eruditionis esse intelligentiam verborum.* Quod ipsum, ut in omnibus aliis disciplinis: ita certè in Juris Civilis scientiâ tam verum est, quam quod verissimum. Eâ enim de causâ, ut labor inspectionis &

A 2

confi-

considerationis verborum, non tantum Ulpiano (quem ideo *μαροθίρα* id est nominum indagatorem appellatum fuisse ex Athenæo refert Cujac. *lib. 24. Observ. 39. in f.*) sed cæteris etiam Jctis nostris semper summus & primus fuit, teste Quintil. *l. 5. Instit. Orat. cap. ult.* ita & merito in hunc usque diem omnibus, qui interpretationem Legum suscipiunt, præcipuus esse debet. Videatur hæc de re eruditissima Frid. Taubmanni Præfatio in *IV. lib. Ausonij Pome Frisii de different. Verbor. impress. Giessæ Anno 1609.* Quæ res nos quoque movet, ut, licet ultima demum verba textus nostri hujus quæstionis ansam nobis præbeant, eandem tamen primò omnium resolvendam atque explicandam esse ducamus.

Apparet autem cuivis facilè, vocabulum *Possessionis*, originis Grammaticæ intuitu, à verbo *Sedeo*, & à *Sedendo* derivari, junctâ dictiunculâ *Pos, potis, pote*: Unde adhuc in usu *Compos, Impos*; Et *Possum* quasi *Pos, vel potis sum*; *Possideo*, quasi *potens, vel potis sedeo*. Nam qui possident fundum vel agrum aliquem, ij ingredi, discedere, & redire, item in eodem ire, ambulare, sedere, & reliqua munia, quasi potestatis aliquo jure, expedire possunt. Atque hanc vocis Etymologiam asserunt Andr. Alciat. *lib. 1. Dispunct. cap. 1.* Petr. Frider. Mind. *in comment. synopt. de Mater. possess. c. 1. n. 6.* Hugo Donell. & Oswald Hillig *lib. 5. cap. 6. lit. A.* & ex parte C. J. A. *l. 41. t. 2. §. 3. pr.*

Hanc vocabuli derivationem Grammaticam licet Jcti non improbent, utpote qui hinc inde scriptum reliquerunt, tamdiu nos retinere possessionem, quàm diu facultatem vel potestatem redeundi, insistendi, insidendi habeamus: quia tamen ipsis solenne est, non tam origenes, quàm significationes vocabulorum attendere, aliam denominationis rationem prodiderunt. Ita enim Julius Paulus (quem & nostri textus autorem esse inscriptio docet) in *lib. 54. ad edictum*, relatus in *l. 1. pr. ff. d. A. V. A. poss.* scribit: *Possessio appellata est, ut & Labeo (qui teste Cujac. in Paratit. C. ad tit. d. acquir. & ret. poss. optimè callebat origines rationesque verborum) ait, à sedibus, quasi positio, quia naturaliter tenetur ab eo, qui ei insistit.* Uti quidem textus iste exprimitur in Pandectis Florentinis, & in Haloandrinâ editione: à quibus variat vulgata lectio, quæ ita habet: *Possessio appellata est à pedibus, & ut Labeo ait, quasi pedum positio, quia naturaliter tenetur ab eo, qui ei insistit.* Variat & nostrum Manuscriptum, (quod ex magni illius Johannis Reuchlini Bibliothecâ, per manus Dionysij Capnionis; Georgij Nüttel, U. J. D. & c. Martini Amelij à Niefernburgk Jcti & Cancellarij Badensis;

lis; Johannis Caspari Delckheimberi, Consiliarij Aulici in Calrs-  
purg. & heredum, justissimo emptionis titulo nobis non ita pri-  
dem obvenit,) quod ita legit: *Possessio appellata est, ut & Labeo ait,  
Pedum quasi positio, quia naturaliter tenetur ab eo &c.* Quæ diver-  
sæ lectiones magnum inter Juris interpretes dissensum præbue-  
runt, alijs Florentinum lectionem defendentibus, alijs pro vulga-  
tâ calculum ponentibus, alijs utramq; lectionem ceu genuinam &  
veram tolerantibus.

Florentinam possessionis appellationem à sedibus defendunt  
Alciat. *dict. lib. 1. dispunct. cap. 1.* Anton. Cont. *lib. 1. disput. 9.* Hugo Do-  
nell. *dict. lib. 5. cap. 6. in pr. ubi & ejusdem enucleator Hillig. in not.  
lit. A.* Nicola. Bellonus *lib. 4. supput. 15. n. 3.* Joh. Borcholt *ad tit. d. A.  
v. A. poss. cap. 1. n. 6.* Viglius Zuichemus *ad princ. Inst. d. testam. n. 20.*  
Vacon. à Vacunâ *lib. 2. declarat. 32. n. 4.* Matth. Wesembec, *in Parat.  
ff. d. A. v. A. Poss. n. 2.* Bachov. *in not. ad Treutl. Volum. 2. disp. 21. §. 1. lit. A.*  
Leopold. Hackelm, *illustr. quest. disp. 20. §. 1. C. 1. Arg. dict. lib. 41. t. 2.  
§. 3. pr.* usi potissimum sequentibus rationibus I. Quia appellatio  
Florentina à sedibus desumpta, præ alterâ à pedibus petitâ, sono  
vocis Possessionis convenientior, congruentiorque esse videtur,  
quam rationem imprimis urget Vigl. Zuichem. *allegat. loc. n. 20.*  
II. Quia non rarum est, ut in Jure nostro, & apud alios auctores,  
phrasis hæc: *sedes habere*, usurpetur pro possidere: ad cujus signifi-  
cationis demonstrationem adducunt *l. in lege. 203. in med. ibi: ubi  
quisq; sedes, & tabulas haberet. ff. d. V. S.* (quo tamen in loco ista signi-  
ficatio necessaria non est, cum ibidem *sedes habere* idem sit, quod  
*domicilium habere*, notante C. J. Arg. *dict. loc. §. 3. n. 1. circa fin.*) & So-  
lin. Polyhistor. *cap. 10.* qui *insidere agros*, pro possidere, posuerit.  
III. Quia si possessio à pedibus appellanda veniret, sequeretur,  
eandem apprehendi posse animo, & ratione corporis, pedum tan-  
tùm; non manuum. oculorum, aut alterius alicujus membri bene-  
ficio: atqui possessio rei mobilis apprehendi potest, non tantum  
pedibus, sed & manibus. *l. si rem mobilem 47. pr. ff. d. A. v. A. Poss.* sic-  
uti cujuscunque rei apprehendi potest oculis & aspectu *l. 1. §. si  
jusserim. 21. ibi: non est enim corpore & actu necesse apprehendere pos-  
sessionem: sed etiam oculis & affectu. & l. quod meo. 18. §. si venditorem.  
2. ibi: si vicinum mihi fundum mercato venditor in meâ turre demon-  
stret; vacuamq; se possessionem tradere dicat, non minus possidere cepi,  
quàm si pedem finibus intulisset. ff. d. A. v. Am. poss.*

Vulgatam Possessionis à pedibus appellationem propugnant



ex antiquioribus Bartol. de Saxo ferrato, & Jason Mainus *ad dict.*  
*l. i. pr. h. t. col. 1.* ex recentioribus Francisc. Connan. *lib. 3. comment. 8.*  
*n. 1.* Stephan. Forcat. *dialog. 73. n. 2.* Bernardin. Walther. *lib. 2. Miscell.*  
*19.* Johann. Schneidevv. *in cōment. ad §. possidere. §. inst. de interdct.*  
*n. 5.* Andr. Gail. *lib. 2. Obs. 129. n. 4.* Francisc. Zoannet. *in tract. d. rubr.*  
*titul. d. A. v. A. Poss. n. 13.* idque sequentibus potissimum argumen-  
 tis. I. Auctoritate probatissimorum Latinitatis auctorum, & qui  
 florentis Romæ temporibus vixerunt, apud quos pedem ponere  
 idem sit quod possidere, ut apud Cic. *in 2. Philipp. Quid erat ubi pedem*  
*in tuo poneret, & in Philipp 3. Hodierno die primum, P. C. longo inter-*  
*vallo in possessionem libertatis pedem ponimus.* II. Auctoritate Celsi  
*in dict. l. quod meo. 18. §. si venditorem. 2.* qui quasi extra controver-  
 siam statuit, eum possidere incepisse, qui pedem finibus intulisset.  
 Unde & initio, per ingressum, rerum immobilium possessionem  
 occupatam fuisse volunt. III. Quia ista à pedibus desumpta de-  
 nominatio cum subjectâ ἀπιολογία optime videtur congruere.  
 Ideo enim Paulus *in dict. l. i. possessionem* appellatam dicit esse  
 à pedibus, quia naturaliter tenetur ab eo, qui ei insistit. Insistimus  
 autem non manibus, vel aliâ corporis parte, sed pedibus, ut ait  
 Walther. *dict. lib. 2. Miscell. cap. 19.* IV. Quia etiam in ipsis sacris li-  
 teris ad possessionem (ex quâ dominium rerum, secundum Nervæ  
 filij sententiam cepit, *dict. l. i. §. dominiumq. 1. ff. d. A. v. A. poss.*) videtur  
 positio pedum requiri, quarum auctoritatem in primis urget Petr.  
 Greg. Tholos. *lib. 1. Syntag. Iur. Univers. c. 13. n. 8.* Nam Deut. XI. 24. &  
 Jos. 1. 3. dicitur: *Quicquid calcaverit pes tuus, tuum erit.* Quam ta-  
 men sententiam longè aliò respicere vult Hillig. in Donel. *enucl.*  
*d. l. 5. c. 6. lit. A.* ut notet sc. prosperitatem successus, & victoriæ ob-  
 tinendæ promptitudinem adversus Chananæos, quam Deus Israe-  
 litis pollicetur, ac terrorem hostium, vel ad auditum nomen  
 profugorum; non naturam Possessionis. V. Quia pedes sint fun-  
 damentum totius corporis, quâ ratione in primis Jason *d. l. dele-*  
*ctatur.* quam tamen frigidam vocat Bachov. *d. l. 1. lit. A.*

Utramque lectionem ceu veram & genuinam tolerant, pa-  
 rumque referre, an à sedibus, an à pedibus possessionem derives,  
 statuunt, Udalric. Zasius *in Comm. ad tit. d. A. v. A. poss. ad l. 1. pr. Petr.*  
 Frid. Mindan. *dict. cap. 1. n. 5. in fin.* Petr. Greg. Tholos. *d. l. 1. Syntag.*  
*Iur. Univ. c. 13. n. 7. & 9.* Et qui ab hâc sententiâ ex superioribus non  
 planè alienus est Bernard. Walther. *d. lib. 2. Miscell. 19.* adducti his  
 præcipuè rationibus. I. Quia Jctus Paulus *in dict. l. i.* testetur  
 posses-



possessionem naturaliter teneri ab eo, qui ei insistit, jam autem insistere dicatur non modò qui pedibus, sed & qui sedibus, immò corpore vel animo rei incumbit, quæ verba sunt Petr. Frid. Mind. dict. loc. n. 5. in fin. II. Quia eadem ratione tam à stando, (quod pedibus perficitur) quàm à sedendo (ubi sedum positio locum habet) causam possessionis expendit, sive, ut clarius loquamur, similitudine tam à stando, quàm à sedendo æqualiter desumptâ naturam Possessionis declarat Paulus in nostrâ l. 3. §. 5. in fin. ibi: *Non magis eadem possessio apud duos esse potest, quàm ut tu stare videaris in eo loco, in quo ego sto, vel in quo ego sedeo, tu sedere videaris.*

Quæ omnia ut penitiùs percipiantur, & imprimis studiosi Juris sciant, cui ex discrepantibus opinionibus adhærere debeant, operæ pretium duximus adscribere egregium (quamvis longiorem) locū celeberrimi Antecessoris nostri p. m. Justi Mejeri, quem inseruit C. I. A. dict. loco §. 3. n. 1. his verbis: *Videtur tamen in dictâ l. 1. pr. magis definiri res ipsa, ut intelligere possimus, quanam sit illa res, quam possessionem appellare debeamus, sive, cui conveniat possessionis nomen. Eius enim præcepti, quod in d. l. 1. pr. traditur, subjectum est Possessio: Prædicatum, appellatum esse à sedibus, quasi positionem: ratio connexionis, naturaliter teneri ab eo, qui ei insistit: quæ omnia ut rectè inter se aptentur, hæc istius loci videtur ἀνάγκη. Quicquid habet in se, sive à naturâ suâ, quandam quasi sedium positionem, id rectè appellatur à sedibus, quasi positio. At possessio habet in se quandam quasi sedium positionem. E. possessio rectè appellatur à sedibus quasi positio. Minor probatur: quicquid naturaliter (i. e. secundum primævam possessionis naturam, & ex sine possessionis, quem ratio naturalis in possessione introducendâ spectavit) tenetur ab eo, qui ei insistit, id habet in se quandam sedium positionem. At possessio naturaliter tenetur ab eo, qui ei (possessioni) insistit. E. possessio in se habet quandam q. sedium positionem. Est autem insistere possessioni in d. l. 1. pr. non simpliciter stare in re possessa, aut in rem possessam ingressum esse, aut rem occupasse: sed potius continuare actum possessionis velle, atq; ita insistere possessioni continuanda. Cujusmodi animus apparet quodammodò in eo, qui sedes ponit, sive qui se componit ad sedendum: In hoc enim non simplex transcundi, sed aliqua commorandi voluntas apparet, cuiusmodi voluntatem oportet inesse in possessione, sive possessore. Et ad hanc rem conducit l. 203. d. V. S. ubi sedes habere idem est, quod domicilium habere. Probabile enim est, cum primò introducta est dominiorum distinctio, quod, qui primi in vacua venerant, quas res, sive terra partes possederunt, & suas esse voluc-*

voluerant, in eas sedes & commorandi domicilium posuerint, ut proinde ab illis sedibus & ab illâ positione, possessionis nomen formatum, & certa rei significanda impositum sit: & possessio tùm demùm appelletur, cùm naturaliter tenet possessionem is, qui ei insistit. Quibus addenda, quæ brevibus hæc de re habet Hugo Donell. *sapè d. l. s. cap. 6. ibi: Additur in d. pr. quasi positio, in quo non ἐτοπον sed παρανομασία seu allusio vocis explanationis causâ adiecta. Possidere namq; est sedes in re ponere, vel positas habere. Et Frid. d. l. n. s. in med. ibi: dicendum est, voculam positio non etymi, sed rei significanda gratiâ illic sumtam esse. Et conjungendi Obert. Giphani. in l. i. in pr. n. i. ff. d. A. v. A. poss. Alciat. in l. Taberna 183. ff. d. V. S. & Francisc. Duar. in comm. ad d. l. i. pr. p. m. 618.*

## QUÆSTIO II.

*Quodnam vocabulum in definitione Possessionis ceu proximum & adequatum genus sit ponendum?*

**N**on heri demum aut nudius tertius, sed multis retrò annis hæc de genere Possessionis inter Juris interpretes agitata fuit controversia, quam inde natam suspicatur Anton. Cont. *lib. 1. disput. 9* quod in Jure Possessionis definitio omissa sit: hinc enim infinitam garrulitatis ansam glossographis subministratam esse, in varias diversissimasque opiniones secedentibus. Nam alij vocabulum *Juris* arripuerunt; alii vocula *detentionis* placuit; alij dictionem *Usus* substituerunt; alij utrumque & *ius* & *detentionem* simul probârunt.

Vocabulum *Juris* arripuerunt Johannes antiquus glossator, qui proinde definit possessionem *Ius quoddam rem detinendi sibi: Azo, cui possessio est Ius quoddam, quo quis rem corporalem verè vel interpretativè sibi habet. Bartol. ad l. 1. pr. n. 6. ff. d. A. v. A. poss. qui dicit, possessionem esse ius insistendi rei non prohibita possideri. Joh. Schneidev. in Comm. Instit. ad §. possidere. s. inst. de interdict. n. 8 & 9. Joh Borcholt. ad tit. d. A. v. A. poss. cap. 1. n. 18. Fulvi Constant. de Usu. cap. pr. n. 7. Cujac in not. ad Instit. tit. 2. lib. 2. ad verba: quæ in jure consistunt, in quorum castra novissimè etiam secessit Bachov. in notis & animadv. ad parat. Wesemb. lib. 41. t. 2. n. 2. pag. 624. ubi dicit: Verbum *Juris* magis idoneum esse. Utuntur autem ad assumendum hoc genus seqq. potissimum argumentis, I. Quia Papinianus in l. peregrè.*

peregrè, 44. pr. ff. d. A. v. A. poss. dicat, si quis condiderit pecuniam  
 suam in terram, & oblitus sit ejus loci, in quo condidit, non idèd  
 ei, qui condidisset, Jus possessionis peremptum videt: i: quibus ver-  
 bis videatur innuere possessionem Jus esse, non factum. Consen-  
 tit l. non idèd, §. in fin. ibi: *inconcussum possessionis jus obtinebis.* C. de liber.  
 caus. sed facilis est responsio, si vel dicamus in d. l. Jus possessionis  
 poni pro ipsâ possessione, exemplo simili in l. cum nemo, §. C. d. ac-  
 quir. & retin. poss. in quâ apertè dominij jus ponitur pro ipso do-  
 minio; vel negemus consequentiam, cum non sequatur, Posses-  
 sionem esse Jus, ex eo, quod dicitur Jus possessionis; sicuti non se-  
 quitur, corpus posse dici jus, ex eo, quod dicatur Jus corporis in l.  
 25. §. 1. ff. de usur, & Fruct. II. Quia idem Papinianus in l. possessio,  
 49. §. 1. testetur, possessionem non tantum corporis, sed & Juris  
 esse; immò, ut paulò ante in pr. scribit, possessionem plurimùm ex  
 jure mutuari. Sed nec hæc consequentia priori melior. Non  
 enim sequitur: Possessio juris est: E. & jus est: Aliàs enim ex eodem  
 textu sequeretur, possessionem etiam corpus esse, quia dicitur  
 corporis esse, quod tamen absurdum. Nam corporis dicitur  
 possessio esse, quia eo acquiritur, & ut sit, ab eo accipit; Juris verò  
 dicitur esse, quia ex jure plurimum mutuatur, ut licet Jus non sit,  
 tamen quoad quædam eadem conditione, quâ Jura, habeatur, quæ  
 recensentur à Donell. dict. lib. 5. cap. 6. & ab ejus enucleat. Hillig.  
 dict. l. lit. H. III. Quia Possessio apertè vocatur jus in l. stipulatio  
 ista, 38. §. si quis fortè, 3. ff. de V. O. Ubi disputatur de stipulatione habe-  
 re licere, si quis stipulatus sit habere licere rem venditam, & quæri-  
 tur quando committatur ista stipulatio: ait autem Jctus, eam sti-  
 pulationem committi, si fortè mota fuit controversia non tan-  
 tum de re ipsâ, sed etiam de possessione, vel alio Jure, cum habere  
 ei non liceat, cui aliquid minuatur ex Jure, quod habuit. Sed  
 sciendum in primâ parte dicti §. possessionem nudam expressè se-  
 paratam esse à proprietate, ab usufructu, & ab usu, & deinde sub-  
 jici illa verba generalia *vel de quo alio Jure* (ut in Florenrinâ legi-  
 tur, aut ut vulgata habet, *de aliquo alio Jure*) quæ verba, ut & ulti-  
 ma hujus paragraphi, non necessariò referenda sunt ad omnia ea,  
 quæ in priori parte fuerunt quæstioni inserta conjunctivè, seu  
 sensu conjuncti: sed ad aliqua tantùm, & ita distributivè seu sensu  
 divisi, exemplo simili in l. si tutor, 9. §. ult. & l. seq. 10. ff. d. tutel. & ra-  
 tion. distrab. IV. Quia servus jure civili possidere non potest, dict.  
 l. possessio 49. §. 1. L. nunquam, 31. §. servus 2. ff. d. Vsurp. & Vsucap. dict.

B

l. stipu-

*l. stipulatio ista. 38. §. hac quoq. 7. & seq. ff. d. v. o.* Quæ autem facti sunt, cadere possunt in personam servilem non minùs ac in personam liberi hominis. §. *sed cum facti. 2. Instit. de stipul. serv.* ubi servus rectè stipulatur sibi ire agere licere; ex quibus sequetur, possessionem jus esse non factum. Verùm nec hoc argumentum quicquam stringit, cùm tale quid contineat, quod possessio ex Jure mutuatur. Nam ratione acquisitionis possessio eadem conditione habetur, quàm reliqua Jura, ut sc. per servos acquiri possit dominis. *d. l. 49. pr. non verò ipsis servis acquiratur. d. l. 49. §. 1.* quorum alioquin illud non fieret, hoc verò fieret, si possessio ex Jure nihil planè mutuetur. Neganda autè est propositio ista necessariò in argumento præsupponenda: Quicquid ex Jure aliquid mutuatur, illud etiam jus est, & per jus definiendum erit. V. Urgent etiam *l. licet 4. C. d. A. & retin. poss. & §. possidere. 5. i. d. Interd.* in quibus dicitur possessionem solo animo retineri posse, quod ipsum de juribus quidem probè, improbè autem de facto aliquo dicatur. Sed respondet Donellus *dict. l. non retineri possessionem solo animo, nisi eam quæ prius habebatur, & sic illam ipsam corporalem possessionem in detentione positam, non quidem naturâ sed juris interpretatione, quia, quoties vult, possessionem repetere licet, & quovis id licet, retinet. Nostrâ l. 3. §. Nerva 13.* VI. Reliqui textus, ex quibus etiam jus adæquatum possessionis genus extruere conantur, sc. *l. si ea res. 31. §. uterq. nostrum 2. ff. ad Action. empti. l. bonæ fidei. 48. §. in contrarium. 1. ff. d. A. R. D. l. Prator ait. 2. §. habere 38. ff. ne quid in loco publ. vel itin. fiat. l. nemo. 10. C. de A. & ret. poss. & in specie l. 3. §. Nerva. 13. & l. 6. in ff. d. A. v. A. poss.* quas imprimis urget Bachov. *suprà. d. l. in not. Wesemb.* exigui ponderis, momentiq; rationes continent, quas facile refellere poterit is, qui & *suprà* datas responsiones probè perpenderit, & simul animum ad ea adjecterit, quæ Doctores ad impugnandum hoc possessionis genus afferre solent, qualia præcipuè sunt. I. Manifestū esse possessionem in prædicamento Actionis contineri, nihilque aliud esse, quàm possidentis actionem, jus autem in prædicamento Actionis locum non habere. Et quamvis possessioni jura varia accidant, quæ acquirantur ab eo, quicumque possessionem acquirat, & inter possessionis effecta, vel consequentia possint exponi, manere tamen possessionem verum factum. C. I. Arg. *dict. l. 41. t. 2. §. 4. n. 3.* II. Quia quæ de Juribus hinc inde in legibus constituta leguntur, in possessione ferè omnia sunt  
contra-

contraria, sive ejusdem acquisitio, sive amissio, sive personæ possidentium considerentur. quæ omnia fusius persequitur Donell. & Hillig. d. l. 5. cap. 6. lit. F. & G. idque in primis evincit l. cum heredes. 23. pr. ff. d. A. v. A. poss. III. Auctoritate nostri textus, ubi Ictus vult, in Summâ possessionis non multum interesse, justè quis, an injustè possideat: ex quibus colligitur, injustam quoque possessionem veram esse; nihil autem injustum esse potest Iuris, quia Jus à justitiâ derivatur, ut scribit Alexand. Turamin. d. substant. possess. c. 3. n. 23. & seq.

Vocula detentionis placuit Theophilo in pr. Inst. d. interd. qui proinde possessionem ita definit: *νομήσις σωματικῆς πράξεως καὶ κατοχῆς*. Possessio est rei corporalis detentio. Franc. Duar. lib. 1. disp. Anniv. cap. 18. Anton. Cont. lib. 1. disp. 9. Franc. Hotom. ad l. S. C. de usufr. Petr. Greg. Tholoss. l. 1. syntagm. c. 13. n. 5. & 6. Alciato in lib. de quinq. ped. prescript. n. 95. & seq. & ad l. 1. n. 25. & seqq. ff. d. A. v. A. poss. Donell. & Hillig. d. l. 5. cap. 6. lit. C. Vacon. à Vacu. lib. 2. declar. 23. Julio Ferret. in l. 1. n. 28. ff. d. A. v. A. poss. Petr. Frider. dict. tract. cap. 1. n. 10. Cujac. l. 9. Observ. 33. Treutl. dict. disp. 21. vol. 2. §. 1. lit. C. Wesemb. in paratitl. ff. d. A. v. A. poss. n. 2. C. I. A. dict. §. 4. n. 3. Innititur autem horum sententia solidioribus firmioribusque fundamentis. Quorum I. desumitur ex nostro textu, in quo idèd plures eandem rem in solidum possidere non posse statuit Paulus, quod contra naturam sit, ut cum ego aliquid teneam, tu quoque id tenere videaris, quem argumentandi modum generis ad speciem esse, cuius manifestum est, & jam antea à nobis ostensum part. 1. hujus Comment. §. 41. II. Quia in sepè d. l. 1. nost. tit. Paulus testatur Possessionem à Græcis κατοχὴν dictam esse, quod vocabulum non modò proprietate significationis detentionem denotat, auctoritate Lexicographorum: sed etiam à Theophilo ita usurpatur in pr. Inst. d. interd. & proinde commodè loco generis poni potest, cum, ut in d. l. 1. subjicit Ictus, possessio naturaliter teneatur ab eo, qui ei insistit. III. Quia sæpissimè in Jure nostro is qui verè possidet rem aliquam, eandem tenere dicitur, usitatissimâ illâ loquendi formulâ, quâ speciem generis vocabulo significamus, ut in l. ab hostibus. 15. §. sed quod. 3. ibi: inchoata sit b. f. possessoris detentatio. ff. ex quib. caus. mai. l. venditor. 21. in fin. ibi: si sine culpâ desit detinere venditor. ff. d. hered. v. act. vend. l. peregrè. 44. §. quibus explicitis 2. ibi: quod corpore nostro teneremus, possessionem amitti ff. d. A. v. am. poss. l. justo errore. 44. §. ult. ibi: an & tenere incipiat. ff. de usurp. & usucap. & aliis locis cumulatis in C. I.

Arg. dict. t. 2. §. 3. n. 6. & à Fridero Mindano dict. cap. 1. n. 3. I V. Quia possessio & possidere passim in Jure nostro res ac causa facti dicitur, ut in l. 1. §. furiosus. 3. ibi: eam enim rem facti non juris esse. & §. seq. 4. ibi: res facti infirmari Iure Civili non potest. ff. de acquir. v. amitt. poss. l. deniq. 19. ibi: possessio autem plurimum facti habet. ff. ex quib. caus. major. l. 1. §. Scavola ait. 15. ibi: possessionem hereditas non habet, quæ facti est & animi. ff. si is qui testam. lib. esse jus. l. in bello. 12. §. facti autem. 2. ff. d. captiv. & postlim. Quod factum in possessione occurrens vix commodiori aliquo, quàm detentionis vocabulo exprimi potest. V. Quia in l. stipulatio ista. 38. §. planè. 8. ff. d. V. O. apertè vocula *tenere* generalior esse dicitur vocabulo *possidere*, ita ut de omni quidem possessione detentio prædicari possit, non verò vice versà omnis detentio possessio appellanda sit. Nam agitur ibidem de stipulatione servi, quæ sibi tenere licere rem aliquam stipulatus sit, utrum ea utilis sit? & subjicitur utilem esse stipulationem, assignatâ illâ ratione, quod licet servus civiliter possidere non possit (id est, Jure Civili non possideat, ut in §. antecedenti 9. dictum, seu non detineat rem cum animo sibi habendi) tenere tamen eos nemo dubitet. Neque quidquam ad rem facere videntur, quæ ad impugnandum hoc genus adducit Joan. Vaudus. lib. 2. variar. quest. cap. 3. dicens, voculam non esse latiore definitio, & detinere esse verbum imbecillius, quàm quo possit exprimi verbum possessionis. Nam ut nervosè respondet Bachov. in animadvers. ad Treutl. volum. 2. disp. 21. §. 1. lit. C. prius perspicuè falsum est, siquidem etiam ille tenere dicatur, qui nec possidet, nec animum possidendi habet; quo sensu verbum tenere, tanquam latius, usurpatur in l. locum. 3. §. si tabula. 2. ff. de Tab. exhib. l. præscriptio. 45. §. 1. ff. d. usurp. & usuc. & in l. possessio. 49. §. 1. ff. d. A. v. A. poss. Quoad posterius autem hæc est natura omnis generis, cum latius pateat definitio, & plures sub se contineat species, ut sit imbecillius, nec exprimat essentiam definiti, quod sc. fit demum per adjectionem differentia, quæ genus restringit ad suum definitum.

Dictionem *usus* in designando Possessionis genere substituerunt Andr. Alciat. in l. 1. §. adipiscimur. 2. n. 28. ff. d. A. v. A. poss. & in l. questio. 115. ff. d. V. S. n. 9. 10. 11. qui proinde possessionem definit *Vsum rei apprehensæ à Iure separatum*, Charond. lib. 1. verosim. 6. Herman. Vult. lib. 1. Jurispr. Rom. cap. 67. n. 4. & Cujac. in parat. C. d. A. & Retin. Poss. ubi statuit, sibi videri nullam meliorem dari posse possessionis definitionem illâ, quam ex Ælio Gallo retulit Festus, quod

quod possessio sit *Usus* quidam agrī vel aedificij: aut, ut simplicius eandem proposuit Javolenus in *d.l. 115.* quod possessio sit *usus loci.* Quod autem *Usus* verum Possessionis genus esse nequeat, patet. I. ex textu nostro, ubi dicitur possessionem unius rei non plurimum in solidum esse. Atqui usus rei alicujus potest duorum, plurimumve in solidum esse. *l. si ut certō. §. §. si duobus. fin. ibi: usum autem balnei quidem, vel porticus, vel campi uniuscujusq; in solidum esse, neq; enim minus me uti, quod & alius uteretur. ff. Commod.* Absurdum autē esset, prædicari aliquid de genere, quod de singulis speciebus prædicari non posset. II. Ex *l. rei commodata. 8. ff. Commod.* in quā Pomponius asserit, nos rei commodatæ (idem est in re locatā) ut proprietatem, ita & possessionem retinere. Atqui usum rei commodatæ nos non retinemus. cū id agatur in commodato, ut usus rei alicujus gratuito, cum assignatione certi temporis & modi, in commodatarium transferatur. *l. in commodato. 17. §. sicut autem. 3. ibi: intempestivè usum commodatæ rei auferre. ff. commod.* III. Ex *l. ait Prator. 2. §. ult. ff. de precar.* ex quā elicitur, quod usus servitutis, seu alius alicujus juris, precario alteri concedi possit; qui proinde servitute illā utatur. Atqui servitutis possessio esse non potest, ut pluribus demonstravimus in *parte. prior. hujus commentationis §. 36.* Et imprimis notabile esse videtur, quod in *sine dicta legus, possidere & uti,* non modò, ut diversa & separata, sed etiam ut adversa sibi invicem opponantur, ita ut alterum alterius genus esse non possit. IV. Quia si voculam *Usus* in definitione sensu Cujaciano accipiamus, sequetur, aut illud genus angustius esse suo definito, neque plures sub se continere species: aut illud improprie accipiendum esse pro ipsa detentione: & proinde eos rectius facere, qui proprium detentionis vocabulum in definitione Possessionis retinent. Ita enim Cujacius *d.l. Gallus aliquantò plenius* (sc. definit possessionem) & rectè, *quidam, id est, proprii cujusdam generis usus, ut in definitione legati, donatio quadam.* Nec enim est possessio, qui communiter dicitur *Usus, id est, xenois, ut servitus usus, vel usufructus, vel conductio, commodatum, precarium:* NB. sed *detentio, vel subsessio, aut incubatio, qua tamen duo posteriora plerumq; accipiuntur in malo pro possessione m.f.* V. Quia ex *allegata l. 115.* possessionis definitio sumi non potest, cū illic possessio non in vulgari, usitatā, & propria acceptione, sed alio significato, pro certā fundi specie sumatur, ut pluribus post Guiliel. Forneri. demonstrat. Joh.

Gödd. in d. l. 115. n. 8. Addantur & ea, quæ habet P. Frid. Mind. d. l. cap. 1. n. 20.

Utrumque & *Ius* & *detentionem* simul probat Bachov. *dict. l. 1. lit. C.* qui quidem distinguit in possessione, inter ipsum actum incubandi, ac detinendi, & quatenus aliquid à Jure formatum est; sive distinguit inter possessionem secundum proprietatem verbi consideratam, & inter possessionem quatenus Jure Civili conformata & extensa est. Priori significatione genus detentionis omninò se recte habere; posteriori autem non ineptè veteres possessionem jus definivisse, & proinde Treutlerum malè eisdem simpliciter improbasse, qui possessionem definierunt jus. Quà in parte consentientem quadantenus habet Francisc. Duar. in *Comm. ad l. 1. pr. ff. d. A. v. A. Poss. p. m. 617.* qui argumentis utrinque relatis tandem scribit, *consistere possessionem præcipuè in facto & apprehensione; aliquid tamen Juris plerumq; ei accedere, & ad probationem Juris civilis, quia animo retineatur;* Ubi tamen Duarenus duas illas quæstiones separandas confundere videtur: Utrum sc. Possessio Jus sit, ad quam negativè respondendum, & utrum possessio sit Juris, ad quam etiam affirmativè responderi potest; quam confusionem in Treutlero quoque taxat Bachov. *d. l. lit. C. in f. eà* ratione, quod etiam detentio Juris esse possit, quam tamen jus esse nemo facillè diceret. Aliàs in istà quæstione: *Utrum Possessio Juris an facti sit?* nonnulli doctorum, ut Bartol. in *sapè dictâ l. 1. n. 6.* Didac. Covarruv. in *cap. Possessor. 2. d. R. l. in 6. & in 2. part. n. 3. pr. & Joh. Schneidevv. in d. §. possidere, 5. n. 9. l. d. interd.* distinguunt inter possessionem dum acquiritur, & est in fieri, quam volunt esse facti; & inter possessionem productam in esse & acquisitam, quam juris esse dicunt: quomodo & Udalr. Zaf. in *d. l. 1. pr.* statuit, Possessionem esse facti, quoad initia productiva; Juris, quoad effectus, quos operatur. Quam distinctionem evertit *l. possessionem. 29. ff. d. A. v. A. poss.* in quâ Possessio, à pupillo sine tutoris auctoritate amittenda, facti esse dicitur; amitti autem nulla possessio potest, nisi ea, quæ prius acquisita, & in esse producta sit, cum privatio præsupponat habitum. *Fac. l. nam & si sub conditione. 5. in med. ff. d. injust. rupt. irrit.* Evertit eandem *l. deniq; 12. ff. quib. ex caus. major* in quâ de possessione Emptoris acquisitâ, & postea ob id, quod ab hostibus captus sit, interruptâ quæritur utrum postliminiò restituatur: & respondetur non, quia *possessio plurimum facti habet, causa verò facti non contineatur postliminiò.* Rectissimè quoque eandem



dem refellit Alciatus *sup. dict. lib. de quinq. ped. prescript. n. 96. & seqq.* dum scribit: *Non acquisita possessio substantiam suam amittit. Leges simpliciter dicunt possessionem esse facti, non acquisitionem possessionis, quæ ab eâ differt, ut nativitas hominis ab ipso.* Et in primis Vaccon à Vacun. *l. 2. declar. 32.* ita scribens: *dicere possessionem, dum acquiritur, facti; dum producta, & acquisita sit iuris esse, perinde est ac si dicas: statua dum fit, aenea est; facta autem, aurea. Ita enim diverse sunt species ius & factum, sicut as, & aurum. Vel si dicas: Hereditas dum acquiritur est facti: quæ sita iuris. Leges, quæ possessionem facti vocant, non considerant modum acquirendi, sed essentiam iam quæ sita. Et queritur non de factione possessionis, sed de ipsâ in actu existente, quæ dum fit non habet nomen possessionis. Hæc ille.*

### QUÆSTIO III.

*Quanam sint præcipua inter Possessionem & dominium differentia?*

**U**T quæstionis hujus resolutionem superioribus addamus ansam nobis præbet primum paragraphi nostri verbum *Ex contrario*, quod lectorem remittit in paragraphum antecedentem 4. in quo de primariâ aliquâ Possessionis dominiique differentiâ actum est. Quamvis autem infitias ire haud possumus, in plurimis Juris articulis possessionem & dominium inter se convenire quæ similia ex accuratâ titulorum duorum *d. A. R. Dom. & A. vel A. poss.* lectione facile cuivis innotescere possunt, aliqua etiam jam à nobis allata sunt in parte prioris hujus *Comm. 9. 35.* quamvis & nonnulli putent proprietatem, id est dominium, à possessione separari non posse, textu expresso in *l. per procuratorem. 8. C. d. A. & Ret. poss.* (in quâ tamen *L. malè* ista duo vocabula distincta, *Et si*, contrahuntur, & conjunctivè leguntur: *Etsi proprietatem ab hæc separari non possit*) in plerisque tamen à se discrepare, & per consequens invicem misceri non debere, secundum Venuleji sententiam in *l. permisceri. 52. pr. ff. d. A. v. A. poss.* sequens differentiarum Catalogus sufficienter ostendet.

I. Enim differunt Naturâ & Definitione. Possessio enim definitur *Detentio cum animo sibi habendi: sive detentio cum affectione insistendi suo nomine, & sibi*, ut istæ definitiones allatæ, & à nobis pluribus Juris textibus confirmatæ sunt prior. part. *Comment. 9. 19. item 93, 94. & 95.* Dominium autem definitur, quod sit *Ius,*  
quo

quo res alicujus corporalis propria est; quam definitionem subministrant *l. si procurator. 13. ff. d. A. R. Dom. l. cum duobus. § 2. §. idem respondit. 10. ff. pro soc. l. 1. §. domini. 1. ff. ad SC. Silanian. l. seruo. 13. C. d. poen.* Atque hanc differentiam etiam innuere videtur *l. naturaliter. 12. §. 1. ibi: Nihil commune habet proprietatis cum possessione ff. d. A. v. A. poss.* Quæ verba nihil aliud significant, quam communem naturam & definitionem proprietati & possessioni non esse; ut explicantur à C. J. A. dict. tit. 8. 23.

II. Dominium non potest nisi ex unâ causâ alicui contingere. nostrâ *l. 3. §. 4. l. & an eadem 14. §. 2. f. ibi: neq; enim amplius quam semel res mea esse potest. ff. d. except. rei jud. l. non ut ex. 159. ff. d. R. l. §. si res aliena. 6. Inst. d. Legat.* Nam res quæ jam alicujus est, magis ejus fieri non potest. *§. sic itaq; 14. l. d. Action.* Intantum, ut licet in acquirendo dominio plures fortè concurrant causæ, una tamen ex iisdem præferatur, & ratione effectus dominium adjicere credatur: Possessio verò unius ejusdemque rei plurimis ex causis alicui obvenire potest, dict. *§. 4. l. nostræ. 3.* ubi nonnulla afferuntur exempla, quæ etiam colligi possunt ex *l. veniunt 9. & l. heredes. 25. §. quod pro emptore. 7. ff. famil. herciscund.* Add. Everh. Bronchorst. cent. 3. évavriopavōv. assert. 94. ubi & effectum hujus rei subjungit, eum sc. ut si quis in judicio de possessione victus sit ex unâ causâ, non prohibeatur eodem interdicto sibi defendere possessionem ex aliis, quia alia res in judicium deducitur.

III. Differunt ut Causa & Effectus; sive ut Antecedens & Consequens, attestante id Paulo in *sepè d. l. 1. §. dominium, ubi ex naturali possessione* (sc. eâ, quâ quivis verus possessor intelligitur possidere) *dominium rerum cæpisse* ait, ut ita naturalis, simplicissimus, primusque acquirendi domini modus sit ipsa possessio; ad quod faciunt ea, quæ Cic. lib. 1. de off. sect. 21. habet, & quæ ab Ulpiano dicuntur in *l. Traditio 20. §. ult. ff. d. A. R. Dom.* quod per liberam personam omnium rerum possessio quæri possit, & per hanc dominium: & ea, quæ differentiâ sequenti plenius deducuntur.

IV. Dominium per liberam personam, seu per extraneum (quod nomen in hoc Juris articulo spectat ad eos, qui non sunt in potestate nostrâ reverâ, vel putativè, aut fictè. Herman. Vultei. ad pr. Instit. per quas person. cuiq; acquir. n. 3.) nobis acquiri non potest. *§. ex his itaq; §. Instit. per quas person. cuiq; acquir. l. Excepta. 1. C. eod. tit.* Cujus rei hanc adfert rationem C. J. Arg. lib. 41. tit. 1. 8. circa pr.

ca pr. quia dominium acquiritur jure sed jus hic deficere: non enim dici: per procuratorem ( qui extranea & libera persona est) nobis acquiri dominium: sed hoc dici, per possessionem dominium acquiri, dicto §. 5. & d. l. 20. §. ult. ff. d. A. R. D. Sed utilitatis causa hoc receptum est, ut per eas personas possessio nobis acquiri queat, & per hanc possessionem demum dominium, dd. LL. l. per liberam 1. & l. per procuratorem. 8. C. d. A. & Retin. Poss. l. ea qua civiliter 53. ff. d. A. R. D. l. Generaliter 9. l. si me 34. §. sed si. l. ff. d. A. v. A. poss.

V. Differentia inter dominium & possessionem etiam hæc est, quod dominium nihilominus ejus manet, qui dominus esse non vult. l. si quis vi. 17. §. 1. ff. d. A. vel A. poss. ubi in marg. not. Dn. Gothofr. hanc assignat rationem, quod dominium sine facto nostro non amittatur, cum traditionibus & usucapionibus non nudis pactis dominia transferantur. l. 20. C. de pact. Nec obstat, quod res pro derelicto habita statim nostra esse desinat, arg. §. quâ ratione. 47. l. d. A. R. D. l. 1. ff. pro derelicto. l. quemadmodum. 38. §. Iulianus 1. ff. d. noxal. action. l. Falsus creditor. 43. §. quid si dominus. 5. ff. de furtis. Nam ea res sensu juridico pro derelicto haberi censetur, quam dominus eâ mente abjecerit, ut eam in numero rerum suarum esse nolit. dict. §. 47. l. d. A. R. D. quo in casu, cum evidentia abdicationis argumenta appareant, res in terminis nudæ voluntatis permansisse dici haud potest. At possessio recedit, ut quisq; ( id est quàm primum quisque ) constituit nolle possidere dict. l. 17. §. 1. l. qui universas. 30. §. item quod. 4. ff. d. A. v. A. poss.

VI. Dominium, sicut & omnia reliqua Jura, aditâ hereditate ipso Jure transeunt in heredem: Possessio vero rerum hereditariarum ad heredes non pertinet, nisi naturaliter apprehensa sit. l. cum heredes. 23. pr. ubi Zas. n. 6. & LL. qui universas. 30. §. quod. per colonum. 5. ff. d. A. v. A. poss. Bartol. in l. 1. §. Veteres. 16. n. 2. ff. eod. tit. Bellon. lib. 4. supput. 15. n. 4. Eman. Soarez. in thesaur. sentent. lit. B. n. 178. Quod non tantum in extraneis sed etiam in suis heredibus procedere verum est. Zas. ibid. n. 6. Tiraquell. in tract. d. retract. mun. §. 36. glass. 3. n. 3. & Bald. in l. fin. n. 2. C. d. edict. D. Hadriani toll. ubi dicit, quod existentia sui heredis faciat quem heredem; sed non possessorem. Quamvis quidam dissentiant, quorum sententia eatenus subsistere potest, si statuto vel consuetudine sit introductum, ut possessio etiam in heredem continetur, & ipso jure transferatur: quam consuetudinem valere volunt. Gail. lib. 2. Obs. 129. n. ult. & Obs. 152. n. 18. & Myns. lib. 3. Obs. 39. v. Hoc quoq;. Et talem

C con-

consuetudinem ubique in Galliâ receptam esse, testatur Tiraq. in tract. le mort sai fit le vis in 6. declarat. p̄fat. n. 5. Pyrrhus in consuet. Aurelian. tit. d. testamen. cap. 6. & Gothofr. in not. ad dict. l. 23. pr. Quamquam etiam eò dissentientium opinionem non malè transferri existimet Frider. Mind. dict. tract. cap. 12. n. 17. ut procedat, si heres sit in ædibus, vel domo, vel arce, ubi defunctus habitare solebat, & sic ipso facto per causæ continentiam corpore atq; animo omnium rerum possessionem apprehendat.

VII. Postliminiò reversus sicut omnia reliqua Jura, quæ per captivitatem amisit, ita & dominii jus recuperat. l. postlimin. 5. §. in bello 1. & l. in bello. 12. §. si quis. ff. d. captiv. & postlim. revers. (si modò ea jura adhuc integra inveniat: Nam si jus interim alteri sit quaesitum, tunc oportet eum in integrum restitutionem petere, quâ obtentâ poterit rem vindicare actione rescissoriâ. l. ab hostibus. 18. C. d. postlim. revers.) At possessionem, & omnia reliqua, quæ facti causam continent, non recipit. l. deniq; 19. & l. seq. ff. quib. ex caus. major. l. cum heredes. 23. §. in his 1. ff. d. A. v. A. poss. in quâ notabiliter dicitur, quod his reversis novâ possessione opus sit, etiamsi nemo medio tempore res eorum possederit. l. si is qui. 15. pr. ff. de Usurpat. & Usucap.

VIII. Possessio nobis alieno facto eripi potest: Nam quàm primùm rem meam apud te depositam furti faciendi causâ contrectaveris, desino possidere. nostrâ l. 3. §. si rem. 18. Et rem quæ nobis subrepta est, perinde desinimus possidere, atque eam, quæ vi nobis erepta est. l. 15. ff. eod. tit. Quod non modò scientibus nobis rem furto esse sublatam, sed etiam ignorantibus contingit. l. si rem mobilem. 47. in pr. ff. eod. tit. Ad dominium rerum justè quaesitarum alieno facto nobis eripi non potest: salva enim domino semper manet rei vindicatio, quâ rem furto subreptam, aut vi ereptam, à fure, raptore, eorūdem heredibus, & quocunque alio possessore repetere possit. l. in rem. 23. pr. & l. seq. 24. ut & tr. ff. d. Rei vindicat. §. sic itaq; 14. l. d. Action. l. rem in bonis. 52. ff. d. A. R. dom. l. is qui actionem. §. ff. d. R. l.

IX. Possessionem amittimus, quàm primùm facultatem rei tenendæ amisimus. Facit, l. nostra 3. §. Nerva 13. ubi dicitur, res mobiles hæcenus à nobis possideri, quatenus si velimus, naturalem earum possessionem nancisci, id est, corporaliter eas apprehendere possimus, argumento à contrario sensu desumpto, quod fortissimum appellatur à Papiniano in l. quacunq; 1. pr. ff. d. offic. ejus cui mand.

*mand. est juris d.* Dominium autem adhuc retinemus, licet facultatem rerum tenendarum amiserimus, cum saepius contingere possit, ut alius rei dominium habeat, alius eandem possideat, exemplo debitoris & creditoris in *l. cum & sortis. 35. §. 1. ff. d. pignorat. act.* & rerum furto, aut rapinâ ablatarum in *LL. antecedenti differentiâ allegatis.*

*om. X.* Si Vir Uxori, aut Uxor Viro cedat possessione (aut ut in Haloandr. legitur, *possessionem*) plerique putant, possidere eum. *l. 1. §. 4. ff. d. A. v. A. poss.* & rectè quidem, nam quod Uxor Viro, aut Vir Uxori donavit, pro possessore possidetur. *l. 6. ff. eod. tit. l. si uxor. 19. in f. pr. & l. si eum qui 26. f. ff. d. donat. inter Vir. & Uxor.* Nec obstat *l. 46. ff. dict. tit.* quâ dicitur, inter Virum & Uxorem nec possessionis ullam donationem esse. Illam enim legem ad Civilis possessionis effecta respicere, domini sc. acquisitionem, per traditionem ipsam aut per Usucapionem, & alia, quorum respectu nulla sit, & sine effectu possessionis nudæ donatio, statuit Coll. Jur. Arg. *lib. 4. t. 2. §. 8. n. 14.* non tamen rei donatæ dominiû consequuntur. *t. sed interim. 11. pr. ff. d. donat. inter Vir.* cum neque ipsa traditio valeat. *l. hac ratio. 3. §. sciendum. 10. ff. eod. tit.* utpote justâ causâ, propter quam traditio sequeretur, destitutâ: qualis traditio dominium transferre non potest. *Facit. l. nunquam 31. pr. ff. d. A. R. D.*

QUÆSTIO IV.

*Vtrum Termini Civilis, Naturalis, & Corporalis Possessionis in jure uno semper eodemq; modo usurpentur?*

**N**E quæstionem hanc intactam relinquamus, faciunt ea quæ à nobis priori Commentationis parte. *§. 25. 27. 31. & seq.* dicta sunt. Nempe assertionem Pauli Jcti, quod plures eandem rem in solidum possidere non possint, communiter à Dd. intelligi de unâ eademq; possessione Civili vel Naturali vel Corporali; nõ verò de diversis possessionibus, quas illi quidè specie differre volût, nos verò ex accidentariis tantùm qualitatibus, indeque dependentibus effectibus inter se distinctas esse monuimus. Respondemus autem negativè, & dicimus terminos istos in Jure diversimodè usurpari, quorum proinde evolvenda est ambiguitas, quæ totam Possessionis materiam reddidit obscuram & difficilem. Atq; ut à naturali possessione incipiamus.



I. Dicitur naturalis possessio ea, quâ quis in possessione tantum est, sive, quâ quis alteri possidet, & detentione suâ alienæ possessioni præstat ministerium, ut loquitur Celsus in *l. quod meo. 18. pr. ff. d. A. v. A. P.* Quomodo usurpatur in *l. naturaliter 12. pr. ff. d. t. in quâ dicitur eum, qui ususfructû habet, naturaliter possidere videri.* Nâ certissimum est, quod is qui Ususfructûs nomine in possessione est, ipsam rem usufructuariam non possideat. Facit *licet 6. §. is qui rogavit 2. ff. d. precar. l. acquiruntur 10. §. ult. ff. d. A. R. D. §. de iis. 4. l. per quas person. cuiq; acquir. l. 1. §. per eum. 8. l. possessio. 49. pr. l. permisceri. 52. in pr. ff. d. A. v. A. P.* Quomodo item usurpatur in *l. communi 7. §. neq; 11. ff. comm. divid. in quâ dicitur, & colonos, & qui depositum susceperunt, naturaliter possidere.* Nam hos rem conductam vel depositam, proprie loquendo non possidere, docent ratione coloni quidem *d. l. 6. §. 2. ff. d. precar. l. servi emptor. 16. ff. d. peric. & commod. rei vendit. l. non solum. 33. §. quod vulgò. 1. in f. ff. d. Usurp. & Usucap. & in primis l. qui ex conducto. 1. C. Commun. d. Usucap.* Ratione depositarij verò, *l. licet. 17. §. rei deposita. 1. ff. depos. l. officium 9. ff. d. Rei vindic. nostrâ. l. 3. §. sed si is qui. 20. ff. d. A. v. A. P.* Quomodo & usurpatur in *l. stipulatio. 38. §. hac quoq; 7. ff. d. V. O. ubi stipulatio servi, ut sibi possidere liceat, ad possessionem naturalem referenda dicitur: certum autem est, servos civiliter quidem possidere non posse, sed naturaliter tenere, ut dicitur in *l. quod servus. 24. ff. d. A. vel A. P. & consentit d. §. 7. l. 38.* Quomodo denique usurpatur in *l. vide ausus. 38. §. 10. ff. d. Usur. & fruct.* in quâ possessio naturalis à depositario & commodatario revocari dicitur; Nam neque commodatarium verè possidere rem commodatam, apertè docent. *l. rei commodata. 8. ff. Commod. d. l. 3. §. 20. ff. d. A. v. A. poss. & d. l. officium. 9. ff. d. R. V.**

II. Dicitur Naturalis possessio ea, quâ quis reverâ, & bonâ fide, sed sine opinione domini possidet, cujusmodi est possessio creditoris, cui pignus traditum est, & precarium tenentis, siquidem precibus addidit, ut sibi possidere liceat, ut colligitur ex *l. quacung; 13. §. interdum. 1. ff. d. Public. in rem act.* Quæ quidem significatio occurrit in *l. ult. §. si pupillus. 1. ff. d. precar.* in quâ dicitur pupillus rem, quam sine tutoris auctoritate precariò rogavit, naturaliter possidere. Et hanc quidem significationem, quamvis perpetua non sit, reliquis tamen frequentiolem, & proinde in dubio usurpandam esse, monent Cujac. *lib. 9. Obs. 33. in pr. & lib. 27. Obs. 7. p. t. Herman. Vult. ad pr. Inst. d. Interd. n. 9. & lib. 1. Jurispr. Rom. cap. 67. post.*

post. n. 20. sect. *Questio igitur &c. & alij relati à C. I. A. d. l. 41. t. 2. 0. 5. n. 7.*

III. Dicitur Naturalis possessio ea, quâ quis lucrificandi animo, & ita quodammodo animo domini possidet, non tamen opinione domini, cum sciat se dominum non esse: quæ vocis significatio arripienda in. l. 1. §. de iur. 9. ff. d. vi. & vi arm. Ubi dicitur, & naturalem possessionem ad istud edictum pertinere, unde & is, qui à me vi possidebat, si ab alio dejiciatur, istud interdictum habet, dict. l. 1. §. 30. Cujus possessionis exemplum habemus in Colono, qui emptorem, cui locator fundum vendiderat, quemque in vacuam possessionem ire iusserat, non admisit: de quo agitur in. l. Colonus 12. & in l. cum fundum, 18 ff. eod. tit. Item in fure, qui rem mobilem furto ablatam, ita possidet, fac. l. Rem qua. 15. ff. d. A. v. A. poss. & l. si fur. 32. in pr. ff. d. Usurp. & Usuc.

IV. Denique in latissimâ significatione & ea Naturalis possessio dicitur, quâ quivis verus possessor, etiam ipse dominus, rem aliquam possidet: quæ significatio accipienda in. l. pupillus. 11. ff. d. A. R. D. in quâ dicitur, quod pupillus ne possessionem quidem, quæ naturalis est, nisi presente tutore auctore alienare possit, quod non de nudâ detentione, sed de verâ possessione intelligendum. Item in. l. 1. §. 1. ubi dicitur, dominium rerum ex naturali possessione capisse. Item in nostrâ l. 3. §. 3. ubi dicitur solo animo non posse nos acquirere possessionem, si non antecedit naturalis possessio, item in. §. 13. ejusdem l. ubi habetur, res mobiles, excepto tamen homine, hæcenus à nobis possideri, quatenus si velimus, naturalem possessionem nancisci possimus, & in. l. 23. pr. ff. d. A. v. A. poss. ubi possessio rerum hereditariarum, nisi naturaliter comprehensa, ad heredem non pertinere dicitur.

Quod verò Civilem possessionem attinet, non minori cum varietate ea conjuncta esse videtur. Nam. I. in latissimâ significatione Civilis possessio ea appellatur, quæ iure Civili approbatur, & pro verâ habetur: cujus acceptionis notabile Exemplum habemus in. l. Quod servus. 24. ff. d. A. v. A. poss. in quâ servus peculium civiliter possidere negatur, idè quia jus eundem possidere prohibet, ut dicitur in sèpè d. l. 38. §. 7. ff. d. V. O. ibi: quamvis Civili iure servus non possideat.

II. In latiori significatione Civilis possessio ea appellatur, non tantum, quæ quis non dominus animo & opinione domini rem aliquam corporalem tenet; sed etiam quæ ipse dominus rem suo iure subjectam possidet: prout sumitur in ente à allegatâ l. 1. §. de iur. 9. ff. d.



*Vi & vi arm.* ubi dicitur, *edictum illud competere ei, qui vi dejectus est, sive civiliter, sive naturaliter possideat*, nam edictum unde vi non tantum *b. f.* possessoribus, qui animo & opinione domini: sed etiam ipsis dominis, rem suam possidentibus, & ab alio dejectis dari, manifestum est, videatur *dict. l. i. §. & generaliter. 4. §. sive autem. 24. & §. non alij. 45. ff. eod. tit.*

III. In propria & frequentiori significatione Civilis possessio ea appellatur imprimis ab Interpretibus Juris, *quâ quis bonâ fide, animo & opinione domini possidet*: ut videre est apud Auctores supra in hac questione, in secundâ possessionis naturalis significatione allegatos.

IV. Usitatissima quoque, in Jure præsertim, ea est Civilis possessionis appellatio, quâ ea hoc nomine signatur, *ex quâ procedit Usucapio possessori*: quam ut à priori tertiâ distinguamus, suadet *L. bonæ fidei. 48. §. in contrarium 1. ff. d. A. Rer. dom.* Ubi dicitur, perseverare per longum tempus capionem, siquidem eo tempore, quo mihi res traditur, putem vendentis esse, deinde verò cognovero alienam esse. Nam quàm primùm intelligit emptor, se rem alienam possidere, desinit bona fides & opinio domini, & ita desinit Civilis possessio in tertiâ significatione: non tamen desinit Usucapio, & per consequens durat Civilis possessio, prout in quartâ hac significatione sumitur. Quæ quidem locum invenit in *l. in hac actione. 3. §. ult. ff. ad Exhib.* ubi dicitur, actione istâ agendum adversus possessorem, non solum eum qui civiliter, sed & eum, qui naturaliter incumbat possessioni. Item in *l. tigni appellatione. 7. §. 1. ubi is, qui rotam meam vehiculo suo aptaverit, ad exhibendum teneri dicitur, quamvis Civiliter non possideat, id est, quamvis rotam meam ita non possideat, ut eam usucapere possit.* Nam qui totum aliquod sive Compositum possidet, singulas res non videtur possedisse, & proinde nec usucapere poterit. *l. in rem. 23. §. fin. A. d. R. V. l. adeò quidem. 7. §. illud rectè. 11. ff. d. A. R. D. l. qui universas. 30. in pr. ff. d. A. v. A. poss. l. eum qui ades. 23. pr. ff. d. Usurp. & Usucap. locum quoque invenit, in l. i. si eum qui. 26. pr. ff. de donat. inter Vir. & Ux. in quâ Paulus noster statuit, Uxorem rem donatlonis causâ jussu mariti à tertio sibi datam, Jure Civili possidere non intelligi, quod non nisi de possessione, ex quâ Usucapio procedit, accipiendum, cum ipse Paulus in *sapè. d. l. 1. §. 4. d. A. v. A. poss.* cum plerisque putet, si Vir Uxori cedat possessionem, eam possidere sicuti & locum*



locum habet in *l. qui legatorum. 2. §. 1. ff. pro herede vel poss.* Ubi Julianus scribit Regulam istam: *Neminem sibi causam possessionis mutare posse*, accipiendam esse, ut possessio non solum Civilis, sed etiam Naturalis intelligatur: per possessionem enim Civilem ibidem intelligendam esse eam, ex qua Usucapio procedit, ostendit subjectum Exemplum in *fine §. de filio à Patre herede instituto*, qui res hereditarias à Patre sibi donatas, pro parte coheredum usucapere non potest.

Quod tandem Corporalem possessionem concernit, sumitur ea in Jure dupliciter: Ex quibus significationibus prior pro impropria & abusiva, posterior verò pro propria & frequentiori merito habenda. Nam interdum ea dicitur Corporalis possessio, quã quis alterius nomine tantum in possessione est, & corpore rei incumbit, reverà autem non possidet, & ita sumitur pro nudã tantum detentione, sine verã possessione, ut in *l. quod servus. 24. pr. l. si id quod. 25. §. quod autem. 2. ibi: ut potior sit illius corporalis possessio* (ubi hanc acceptionem non tam suadet, quam urget nostra. *l. 3. §. 5. pr.*) ff. d. A. v. A. poss. item in *l. qui ex conducto. 1. C. Commun. d. Usucap.*

Interdum verò, & sæpius ille dicitur corporaliter possidere, qui reverà possidet, sine distinctione, utrum dominus sit, an non: ut in *l. debitor. 40. §. soluta. 2. ff. d. pignor. act.* ubi Papinianus scribit: *soluta pecuniã creditorem possessionem pignoris, quã corporalis apud eum fuit, restituere debere* (creditorem autem reverà possidere ostendunt plurimi textus cumulatim à C. l. A. l. 41. 1. 2. 9. 9. & 10, & à Bachov. in *animadv. ad Treutl. vol. 2. disp. 21. 9. 4. lit. F.*) item in *l. sequitur. 4. §. sed etsi. 13. ff. d. Usurp. & Usucap. in. l. 1. §. si quis. 5. ff. quod legator. in. l. 1. §. 24. ibi: sive autem corpore sive animo quis possidens dejectus est, & §. 26. ibi: qui neq; animo neq; corpore possidebat. ff. d. vi & vi arm. Et in *l. pecuniam. 79. ff. d. solut. & liberation.**

Ad



*Ad*

Nobilissimum Dn. JOHANNEM BRANDIS, sub Magnifici Dn. Rectoris, Viri Amplissimi atq; Consultissimi, GREGORII BICCII, præsidio, solenniter, de gravissimo argumento disputantem.



*Magnificos ausus & grandia cœpta minatur  
BRANDISIVS, patriæ nobilitatis honos;  
Dum sub MAGNIFICO RECTORE gravis-  
sima Iuris*

*Solenni cœtu disputat arbitria;*

*Quasq; alibi studio vigili magnoq; paravit*

*Artes successu, hæc per documenta probat.]*

*Macte animo tali! namq; hanc Tibi prima sibiq;*

*Gratatur laudem Patria, prima colit.*

*Proximus affectus generosæ stirpis habetur,*

*Cujus ab hoc auctu gloria major erit.*

*Sed patriæ & stirpis nunc Nostra Academia sortem*

*Prævenit, atq; videt prima probatq; decus.*

*Nuntia mox etiam testisq; futura lubenter,*

*Quos cives ac quos optet habere Viros.*

*Boni ominis & affectus testandi,  
scripsit amico honoratissimo*

Jo. Henricus Boeclerus  
Prof. Publ.

ULB Halle  
005 714 745

3



VD17







COMMENTATIONIS  
Ad locum Juris famosissimum, vexatissimum-  
que in L. Possideri. 3. §. Ex contrario. 5. ff. de acquir. vel  
amittend. possess.

22<sup>39.</sup>

1641, 2.

PARTIS POSTE-  
RIORIS,

MEMBRUM PRIMUM,  
DEO OPTIMO MAXIMO AUSPICE  
IN CELEBERRIMA REIPU-  
BLICAE ARGENTORATENSIS VNIVER-  
sitate publici, & Solennis exercitiij gratiâ  
propositum

A

GREGORIO BICCIO, BUDISSINO,  
U. J. Doctore, Pandectarum Professore ordinario, &  
h. t. Universitatis RECTORE,

Respondente

JOHANN E Brandis / Nobili  
Boruffo.

Die 16. Mensis Decembr. hor. ab IIX. pomerid.  
in Auditorio Veteri.



ARGENTORATI,  
Typis JOHANNIS ANDREÆ,

Anno clō lxx. xli.

